



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De eadem, Sermo CLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

De eadem, Sermo CLIII.

FRatres, humani sensus non est virginæ partus aperire mysterium, quod natura non habet, authoris est, non naturæ, est opus superni spiritus, quod sentire non potest caro: vbi non est humanitatis iudicium, ibi deitatis est signum, dicente Propheta: Ipse dominus Deus dabit vobis signum. Ecce Virgo in vtero accipiet. Vbi nil est terreni vsus, est ibi cœlestis ordinis totū, q̄ de mūdo non est, mundano intellectui nō potest subiacere. Cōceptus qui virginē seruat, partus virginē qui relinquit, diuinū est quod generat, non humanum: Deus graditur, vbi vestigium nullatenus humani transitus inuenitur, consuetudo deficit, miracula cum geruntur, consuetudines non respiciunt signa, singularitas non admittit exemplum, sicut hodierna pandit lectio, quæ diuina narrat prælia paruulorum. Coorta Regi cohors sua magis præmori quam commori tota gessit: Christo dicati milites cœperunt ante militare, quam viuere; ante pugnare, quam ludere: fundere ante sanguinem, quam lactis vbera perpotare: ardentes animæ moras corporis non tulerunt, à gremio ad furentes hostium cuneos peruolantes, anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oscula, vnguenta ferro, vt cœlum possint ante inhabitare, quam terram: præmia spiritus ante portare quam carnem; ante referre triumphos Deo, quam perferre hominum nutrimenta. Verè, verè fratres, isti sunt gratiæ martyres, confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscij, moriuntur inconscij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ergo sicut virginitas corruptionis nescia contulit honorem matri, sic infantia passionis ignara martyrij palmas rapuit

rapuit & coronas. Sed quid dicemus quod Rex ipse qui stare debuit, fugit solus, & fugit monente patre? Fugere istud est amoris intimi, non timoris ignaviae. Si steterisset Christus, haberet eos synagoga filios, hos Ecclesia martyres non haberet.

In diuum Stephanum protomartyrem, Sermo C L I V.

Sicut dominum prædiorum limitibus affixi tituli sproloquuntur, ita nomina ipsa sæpe sanctorum merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham, quod fide credidit, nominis adiectione monstrauit: quando ex Abram Abraham diuinitus nuncupatur: ut dilatandus genere, nomine ante dilataretur, dicente domino: Et non vocabitur amplius nomen tuum Abram, sed Abraham erit nomen tuum, quia patrem multarum gentium posui te. Sic coniunx sancta eius cum de sterili fit foecunda, ex Sarai vocitata est Sarah, ut & ipsa ante crescat nomine, quam crescat pignore, & quia promittente domino risum credidit, si vetula conciperet exarata iam rugis, si pareret desperata iam foecunditas, si sterilitas iam penes senectutis extrema pragnans fieret, risum mox quod genuit, nuncupauit: & hoc aptauit in nomine, quod sensu passa est cum rideret, & vocauit nomen eius Isaac, quod interpretatur risus. Sic Iacob, qui in utero cepit ante luctari, quam viuere: ante viribus superare, quam membris: etiam inter viscera materna ipsa supplantatoris est vocabulum consecutus, eo quod antequam nasceretur, noscitur diuinitus reprobatum supplantasse germanum. Et quia longum est ire per singula: sicut Petrus à petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare: ita Stephanus vocatus est à corona, quia primus meruit

Gen. 17.

Gen. 21.

Gen. 25.